

1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11



XLII.
50.
19
1871

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
De
NECESSITATE,

Quam
Summò Necessitatis fretus Præfidiò,
EX DECRETO

Magnifici & Nobilissimi
JURIS-CONSULTORUM
ORDINIS,

IN INCLUTA NORICORUM
UNIVERSITATE

pro
LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI

Solenni submittit disquisitioni
JUSTINUS THEODORUS Krauß/
Jen. Thuring.

A. O. R. M. DC. LXXI. D. 27. OCTOBR.



ALTDORFI

Typis HENRICI MEYERI, Acad.
Typographi.

29

3



DISECTATIO IN ANTIQVARIIS
JURIDICA

NECESSITATE

Summo Necesse est ut in
EX DECRETO

Magnifici & Excellentissimi

ILLUSTRISSIMO SENATUI
ORDINIS

IN UNIVERSITATE
MAGNIFICENTIAE

LACERTIA

SUMMO IN HONORE JURE HONORES
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIA
RITE CONSERVANDI

Societatis studiorum descriptionis

Justinus Theodorus Remy

Jen. Thuring.

1790. R. M. DC. LXXXI. d. 27. Octob.


1790. R. M. DC. LXXXI. d. 27. Octob.

ALTDORFI

Typis Henrici Meyeri, Aed.

Typographus





*Quod Summum Necessitatis Præ-
sidium fortunet!*

THES. I.



Um Etymologia sit quasi putamen, quò perfractò ad ipsum nucleum faciliùs datur pervenire, hinc eam meritò præmittimus. Dicitur autem Necessitas vel per ἀνάγκη ἀcessando, quòd in eâ minimè sit cessandum; vel quòd nec esse aliter possit, alludente ita

Scaligerò lib. 11. de caus. ling. lat. c. 116. Græcis dicitur ἀνάγκη, item ἄρεια, indigentia. Kortholt. Dissert. Metaph. de Necessitate mem. 2. §. 2. Vocatur etiam necessitudo, Germanis Noth/ quasi nodus, (liceat & mihi alludere) quò res coërcentur & vinciuntur, Nothwendigkeit/ quod propriè mutationem seu versionem ex necessitate factam significat, quia wenden est vertere, Nothdurft/ necessitas indigentia. Fritsch. Diss. Inaug. de tel. necess. Sect. 1. th. 1. Consule post alios Lexicographos Martin. Lex. etymol. h. v.

II. Etymologiam sequitur Homonymia. Sumitur autem Necessitas (1.) pro indigentia, quomodò appellandi remedium dicitur necessarium, respectu ejus, qui illò indiget, l. 1. pr. ff. de Appell. & Relat. (2.) Pro utilitate, l. fin. C. de his quæ ex publ. collat. lib. 10. l. 2. C. de privil. dom. Aug. lib. 11. (3.) Pro violentia, sicuti qui ad ultimum supplicium ducitur, necessariò ire censetur. (4.) Sic alimenta ad sustentationem sunt necessaria, arg. l. 6. ff. de alim. vel cib. leg. (5.) Pro familiaritate & cognatione, ita dicitur necessitudo personarum, quæ inter

A 2

pa-

patrem, liberos, uxorem, nurum, &c. intercedit, l. 2. ff. in jus voc. ut eant. aut sat. vel caut. dent. (6.) Pro eò, quod non contingit aliter se habere, (7.) pro eò, quod aliter se habere non potest, quæ significatio est hujus loci.

III. Synonyma Necessitatis sunt inevitabilitas, impossibilitas, urgens calamitas, immutabilitas, Vis, Coactio, indigentia, difficultas. Augustia, justum impedimentum, &c.

IV. Cum omnis ferè definitio in jure sit periculosa, l. 202. ff. de Reg. Jur. hinc exactæ definitioni Necessitatis excogitandæ super sedemus, & describimus saltem eam, quòd sit vis contraria voluntati, quam repellere non possumus, l. 2. ff. de eò quòd met. caus. Cujac. tract. ad African. ad l. 35. locat. Aristot. lib. 4. Metaph. c. 5. ita definit: 'Αναγκάσιον ἐστὶ τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶναι: h. e. necessarium (seu necessitas) est id, quod aliter se habere non potest; adeoque rationem formalem ejus constituit in eò, quòd aliter se habere non possit, sicut ex oppositò Contingentis formale est, quod aliter se habere queat. Oritur ergò ex vi aliqua & coactione, ejusq; est premere, urgere, constringere, quasi sit id, quod vi aliqua cogente fieri opus est. Weber. de Jur. consistor. cap. 47. Coeterum longis causarum & methodicæ tractationis involucris diutiùs immorari, nostri jam non est propositi, sed temporis Necessitate ac penuriâ compulsi, ad Effectus Necessitatis progressum facimus.

V. Licet liber homo non sit in commercio, l. 6. l. 34. §. 2. ff. de contrab. emt. vend. l. pen. §. ult. ff. ad L. Fabiam de plagiar. Hahn. ad Wesf. paratit. tit. de contrab. emt. vend. n. 7. attamen in casu necessitatis permittebatur olim parentibus partum sanguinolentum seu recens natum, quem ipsi alere non poterant propter nimiam paupertatem egestatemque, vendere, victus scilicet causâ, ne fame pereat, sed ut alimenta ei præbeantur ab emtore, l. 2. C. de patrib. qui fil. distrax. Balduin. in LL. Constantin. M. l. 2. p. 201. Dn. Ungep. Exerc. 3. q. 3. Hodie tamen ejusmodi venditioni locus amplius non est, sed tali casu emergente

gente

gente magistratus subvenire solet. *Perez. ad Cod. de patr. qui fil. distrax. n. ult. Graneweg. LL. abrog. in Cod. h. t.*

Vl. Citatio Realis, quâ ab apprehensione personæ processus inchoatur, in causis civilibus non habet locum regulariter; at in casu necessitatis procedit, quando reus suspectus est de fugâ, *DD. in l. 10. §. 16. ff. quæ in fraud cred. vel si appare re nolit, l. 8. C. quom. & quand. jud. sent. prof. part. pres. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. V. th. 12. talis de fugâ suspectus aut latitans in Reformat. Noric. tit. 12. l. 1. fol. 70. vocatur ein Trünninger / Flüchtiger / in Reform. deß Westphälischen heimlichen Gerichts Annô 1339. in die convers. Pauli à Carolo IV. Imp. aufgericht / ein Stöckling / à latendô, stöcken / referente ita Wehner. in Observ. Pract. lit. T. verb. Trünning / Stöckling. Fallere tamen supradicta vult *Farinac. in prax. crim. lib. 1. quest. 27. num. 64. in personis, quæ ob debita aliàs carcerari nequeunt, quales sunt milites, Doctores, l. medicos. 6. ubi gloss. in verb. exhiberi. C. de Profess. & Medic. lib. 10. Mulier, M. Ant. Peregrin. tr. de J. Fisc. lib. 6. tit. 7. n. 9. per text. in l. 1. C. de off. divers. jud. Nobilis, impubes, Florez. quest. 21. n. 152. & seq. infans, Gail. 1. Observ. 48. n. 14. 16. & c. Observ. 90. n. 3. Klock. de Contrib. cap. 18. n. 116. & seqq.**

Vll. In cautione de iudicio fisci regulariter quidem satisfactio per fidejussores requiritur, *l. 1. ff. qui satisd. cog.* Ob paupertatem tamen & ex necessitate ad juratoriam cautionem quidam admittuntur, si vitæ integritate sint conspicui, ac de fugâ non suspecti, & jurent, se fidejussores reperire non posse, quamvis summam adhibuerint diligentiam, *Auth. Generaliter. C. de Episc. & Cler. Nov. 112. c. 2. Nov. 134. c. 9. Ant. Fab. in Cod. L. 2. t. 36. def. 8. & 9. Gail. 1. Observ. 148. n. 6. 7. vel saltem credulitatis juramentum, de jure Saxonico, præstiterint, se summâ quamvis adhibitâ diligentia nullos tamen posse invenire fidejussores. *Carpzov. part. 1. Const. 5. def. 9. n. ult. quâ cautione etiam opus est, licet alibi quis bona possideat, Carpz. d. l.**

def. 10. quò casû aliquando simul bonorum oppignoratio requiritur. *Conf. Matth. Coler. de process. exsec. p. 3. c. 11. n. 95. 98.*

VIII. Licet SCtò Macedonianò ob odium fœneratorum cautum sit, ne cui, qui quâcunque ratione filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem patris ejus, cujus in potestate fuisset, actio petitioque daretur, *l. 1. ff. ad SCt. Maced.* attamen si filius illud mutuum in id, ad quod pater aliàs ex necessitudine & pietate tenebatur, aut aliam rem necessariam, ut benè explicat *Gothofred. in not. ad l. 7. §. 14. ff. dict. tit.* impenderit, cessat hoc Senatusconsultum, *d. l. 7. §. 14. ff. ad SCt. Maced. l. 5. C. eod.* *Hahn. ad Wes. parat. h. t. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. d. t. §. DD. passim ad tit. ff. & C. ad SCt. Maced.*

IX. Res Minorum & pupillorum, quæ servandò servari possunt, alioquin alienari prohibetæ, *t. t. ff. §. C. de reb. eor. qui sub tut. & cur. sunt, sine decret. non alien. vel suppon. in casibus necessitatis licitè alienari possunt, l. 12. C. d. t. l. ult. C. eod. l. 5. §. 9. ff. eod. l. 22. C. de admin. tut. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XXXI. th. 34. Wesenbec. in paratit. ad ff. tit. de reb. eor. qui sub tut. num. 4. Octav. Simoncellus tract. de decretis ceterisq; solennitatibus in contract. minor. & alior. his simil. adhibendis lib. 1. t. 1. n. 17.* Requiritur tamen, ut cognitio & decretum judicis antecedit. *Hahn. ad Wesenb. d. t. n. 4. Carpz. part. 2. Const. 11. def. 28. num. 4. Perez. ad tit. C. de admin. tut. pr.*

X. Tutores pecuniam pupilli mutuare regulariter prohibentur per *Auth. Novissimè. C. de admin. tut.* faceretamen hoc possunt necessitate urgente, per *eand. auth. vers. nisi ex necessitate.* quem textum in publicis quoque administratoribus obtinere, contendit *Platea in l. si quis. num. 2. C. de his, qui ex publ. ratioc. lib. 10. Wesenb. cons. 53. part. 2.* Fœneratione tamen semel approbata, pecuniam otiosam retinere non debent, *l. 24. C. de admin. tut.* alias ad usuras tenentur, *l. 24. C. de usur. Stephan. ad Nov. 72. c. 7. Gutierrez. p. 2. c. 9. Rauchb. p. 2. q. 26. n. 6. Schurff. 1. Con-*

Consil. 36. Jung. Perez. ad tit. C. de admin. & per. tut. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XXXI. th. 37.

XI. Heredi fideicommissum in præjudicium & fraudem fideicommissarii alienare integrum non est, *arg. l. 4. C. de fideicommiss. l. f. §. 2. vers. nemo itaq. C. commun. de legat. & fideicommiss.* Excipitur tamen alienatio necessaria; & quidem necessitatis causa provenit vel (1.) à testatore ipsò, si propter æs ejus alienum res fideicommissio obnoxia distrahatur, *l. 114. §. 14. vers. sed hæc. ff. de legat. 1. l. 1. C. debit. vend. pign. imped. non poss. Peregrin. de Fideicommiss. art. 40. num. 18. 19.* Vel (2.) ab herede, quando ob hujus debita alienatur, tunc enim tamdiu retinet emtor, quamdiu debitor haberet re non venditâ, *l. 69. §. 1. de legat. 2. Carpz. p. 3. C. 8. def. 34.* si tamen cæteri, qui sunt de familia, ante illum proximum moriantur, retinet emtor in perpetuum, *arg. l. 48. §. fin. ff. de Jur. fisc.* Vel (3.) ab ipsò objectò, si res fideicommissio obnoxia tempore sit peritura, *Carpz. p. 2. c. 8. def. 32.* Vel (4.) à Lege, si liberi rogati restituere, non habeant congruam dotem aut donationem propter nuptias, *Nov. 39. c. 1. Auth. res quæ subjacet. C. commun. de legat. Gudelin. de J. noviss. l. 2. c. 10. Menoch. arb. jud. quæst. c. 182. n. 66.* adeò ut nec hanc fideicommissi alienationem prohibere possit testator, *Fachin. 4. c. 48.* quod etiam de dotis restitutione nonnulli affirmant. Prætereà etiam ob alimenta, si gravatus aliunde non habeat, unde vivat, fideicommissum alienari posse tradunt *Menoch. 4. præf. 91. Peregr. de fideicommiss. art. 42. n. 86. 88. Pap. decis. 61. Fusar. de subst. fideicommiss. q. 536. Rittershus. ad Nov. p. 6. c. 11. n. 6. Add. Knipschildt. tract. de fideicommiss. famil. nobil. c. 11.* Benè tamen monet *Carpz. p. 3. c. 8. def. 36.* utilius ac tutius esse, ut alienationem præcedat causæ cognitio & decretum judicis.

XII. Possessione suâ (etiam injustâ) nemo sine causæ cognitione est privandus, *l. 6. C. unde vi. l. 3. §. fin. ff. ad L. Jul. de vi*

vi

vi publ. Unde possessor ad defendendam possessionem, inculpatæ tutelæ moderamine illatam vim repellere, & in possessione impediendi resistere potest, *l. 1. C. unde vi. junct. l. 3. §. 9. l. 17. ff. de vi & vi arm. c. 6. de sent. excomm. in 6to. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. Gail. de pac. publ. l. 1. c. 16. Ord. Cam. p. 2. t. 9. §. 5. Sojemand. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XLII. th. 23. & Ejus Dissert. de vindict. priv. th. 33. & seqq. Job. Grak. de autor. privat. class. 3. c. 2. adeò, ut & judici absque causæ cognitione procedenti ejusque officialibus rectè resistatur, *l. 5. C. de Jur. fisc. lib. X. l. 5. C. de executor. & exactor. lib. XII. l. ult. vers. sed & si fecerit. C. de discussor. lib. X. Christin. 5. dec. 6. n. 2. dec. 168. n. 12.* quia sic de procedendò non differt à privato homine, *l. 1. & l. nec Magistratus. 32. ff. de injur. Vincent. Hondeda. cons. 82. n. 24. vol. 1. Georg. Everhard. cons. 7. n. 3. vol. 2. Cassp. Klock. de contrib. cap. 18. n. 109.**

XIII. Si ob adversam tempestatem necessitate cogente onusexponatur, non cadit in commissum, *l. f. §. 8. ff. de public. & vectig.* quod ipsum DD. extendunt ad aliam urgentem necessitatem, e. g. si ob metum latronum, *Brunnem. in l. 1. C. de naufrag. Petr. Royz. dec. 3. n. 183. Hier. à Laur. dec. 150.* vel ob pestem res transvehantur, *Ripa tract. de pest. n. 158. & n. 161.* ubi etiam hoc affirmat de necessitate famis. Sic qui ob viarum insecuritytem & tempore belli insuetâ viâ utitur, fraudasse dacia & gabellas non censetur, & navis, quæ ventorum impetu ad portum non destinatum incurrit, gabellamolvere non tenetur, *Natta Consil. 119. vol. 1. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XXXIX. th. 42.*

XIV. Regulariter aliud pro aliò solvi nequit invito creditori, *text. in l. 2. §. mutui datio. 1. ff. de Reb. cred. Wesenb. n. 4. ff. de solut. Cassp. Manz. in patrocín. debitor. calamit. belli de pauperator. Decad. 2. Quest. 10. n. 9. l. 16. C. de solut. arg. l. 99. ff. de solut. Carpz. P. 1. Const. 8. def. 11. n. 6.* At secus se habet in casu necessitatis,

tatis, l. 71. §. 3. de legat. 1. Auth. hoc nisi. C. de solut. Nov. 4. c. 3. in
 med. ibi: necessitatis ratio ad hoc causam perduceret. R. A.
 1654. §. So viel nun die Capitalia 172. vers. Oder auf den Fall
 er vierdtens. Hahn. ad Wesenb. comment. ad ff. tit. de solut. num. 3.
 verb. quod debetur. In hanc ipsam sententiam descendit etiam
 Jacob. Schult. dum quest. 42. n. 34. jura, inquit, ea, quæ aliud pro
 aliò invito creditori solvere vetant, nominatim sic limitan-
 tur, ut ob debitoris inopiam suscipere teneamur id, quod de-
 bitor dare potest, Bart. in l. mutuum. 2. §. mutui datio. 1. n. 21.
 ff. si cert. pet. Ludovic. Rom. consil. 163. n. 4. ejusq; rei rationem
 affert evidentissimam; nam si propter inopiam adversarii a-
 dimi prorsus videtur actio creditori, l. nam is nullam. 6. ff. de do-
 lo. multò magis reus aliud pro alio, e. g. prædia pro pecunia
 solvere, si eam non habeat, poterit, Auth. hoc nisi. C. de solut. Cassp.
 Manz. de patroc. deb. cal. bell. de paup. Dec. 2. quest. 10. n. 76. §
 n. 81. Imò in casu necessitatis, in re alienâ debiti solutio cre-
 ditori licet invito solvi potest. arg. d. Auth. hoc nisi. C. de solut.
 Rittershus. ad Nov. p. 2 c. 3. n. 4.

XV. Ante tempus solutioni præfinitum debitum exigi
 regulariter non potest, nisi usuræ annuatim promissæ non
 sint solutæ, e. g. ut fors annò quartò solvatur, & intereà singu-
 lis annis usuræ præstentur, arg. l. 57. ff. de pact. Georg. Schultz.
 tract. de oblat. §. ob signat. pec. c. 4. n. 25. Emergente tamen ne-
 cessitate, si debitor bona sua dilapidet, vel de fugâ sit suspectus,
 etiam ante tempus præstitutum solutio rectè petitur, Freyer. tr.
 de solut. c. 5. n. 18. 19. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XLVII. th. 75.

XVI. Licet aliàs depositio pecuniæ non liberet debito-
 rem, si facta sit sine debitis solennitatibus, quales sunt, (1.) ut
 creditor à Judice debitoris competente citetur, ad videndum
 deponi, (2.) coram eò totum debitum in probâ monetâ cum
 usuris, l. 9. C. de solut. offeratur & numeretur, (3.) creditore ac-
 cipere recusante aut planè non comparente apud magistra-
 B rum

tum deponatur & obligetur, *l. si per te non stat. 19. C. de usur. l. 10. l. ult. C. de pign. act. l. obsignatione. 9. C. de solut. Ant. Fab. in Rational. ad l. si debitori. 21. ff. de judic. & in Cod. lib. 8. tit. 29. def. 7. n. 1. def. 54. n. 12. def. 6. & def. 23. Carpz. p. 1. c. 28. def. 16. Carpz. 5. Resp. 99. & 100. Dn. Richter dec. 75. Freyer. de solut. c. 7. membr. 7. Hæc tamen requisita solennia oblationis & obsignationis in depositione necessaria non adeò strictè sunt observanda, *Joh. Zanger. de Except. part. 3. cap. 2. n. 170. Cum pecuniam deponens apud judicem, cujus fides publicè electa & approbata censetur, videatur deponere in locò publicò & æde sacrâ, quæ depositionis & obsignationis ratio semper tutior esse solet, l. 1. §. 37. l. 5. in fin. ff. de pos. Carpzov. part. 2. Const. 28. def. 17.**

XVII. Regulariter quisque vias ante domum suam factas, stratas & purgatas habere tenetur, *l. 1. §. 3. ff. de via publ. & si quid in eâ fact. esse dic. Frider. de interd. t. 4. per tot. ubi verò jus istud non obtinet, ut aliquis privatus ad hoc compellatur, ibi sumtibus publicis viæ, fora, pontes, fossæ, aggeres, mænia, &c. reparantur, ita tamen ut ærariò non sufficiente in casu necessitatis omnes tam cives & incolæ, quàm forenses, qui domos in urbe aut prædia & agros in finibus Civitatis possident, imò & clerici atque divinæ domus conferræ teneantur, l. 7. C. de SS. Eccles. Bald. in d. l. 7. Bart. in constit. de pac. constant. §. nos Romanorum. Robert. 2. rer. judic. 3. Fr. de Amaya in l. 2. C. de immun. regm. conc. lib. 10. Aldovin. consil. 59. n. 16. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XXIII. th. 28. Quid quòd etiam tali casu & principis bona patrimonialia collectari queant, l. 4. 5. C. de privil. dom. August. Klok. de contribut. c. 19. n. 529. & c. 9. n. 62. 63. & seq.*

XVIII. Furtum in casu extremæ necessitatis perpetratum poenâ ordinariâ non est plectendum, quia furtum fit in re aliena; at necessitatis tempore omnia sunt communia & veluti pro-

ti pro-

ti propria, *Freundeb. de Rescript. Morat. tit. 6. concl. 14. n. 4. lit. b. l. si labor. 2. §. cum in eadem. 2. vers. itidem agitatum est. ad L. Rhod. de iact. can. sicut h. 8. dist. 47. Cagnol. in l. qua propter. 123. n. 3. ff. de Reg. Jur. c. quod non est licitum. 4. extr. de Reg. Jur. c. 3. extr. de furt. Lessius lib. 2. c. 12. n. 12. Gregor. Satyr. in clav. reg. lib. 9. c. 14. n. 17. & seq. Perez. ad Cod. tit. de furt. n. 10. Hugo Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 2. n. 6. vitamq; redimere licet quâlibet ratione, arg. l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent. sib. mort. asciv. Henr. Bocer. de furt. cap. 2. n. 167. & seqq. Licet famis necessitatem prætendens pro ratione famis urgentis aliarumque circumstantiarum sæpe extraordinariè sit puniendus, *Ord. Crim. Carol. art. 166. Carpz. part. 4. Const. 37. def. 9. Et in Pract. Crim. part. 2. quest. 83. n. 40. & seqq.* An autem per ejusmodi necessitatem etiam intrinseca furti malitia excusetur, vid. *latiss. explic. Dn. Fritsch. in Diss. Inaug. de præsid. necess. sect. 7. concl. 2. Dn. Cassp. Ziegl. ad Lancellot. Instit. Jur. Canon. tit. de furt. §. 2. in not.**

XIX. Si famuli & ministri non habeant, unde se sustentare possint, & in urgente inopiâ constituti dominis sufficienter requisitis, salarium tamen solvere malitiosè recusantibus, aliquid de bonis eorum subtraxerint, pœnâ ordinariâ non sunt afficiendi, *arg. cap. un. in fin. tit. de milit. Vasall. ll. f. 22.* Non enim hic subest fraudulosa contrectatio rei alienæ, quæ tamen in furto necessario præsupponitur, *l. 1. §. 3. ff. de furt. cum & causa bestialis à dolo excuset delinquentem, arg. igitur. 12. §. & generaliter. 3. ff. de liberal. caus. l. inter omnes. 46. §. re-ctè dictum est. 7. ff. de furt. cur non multò magis denegatio salarii à domino ipsis debiti? Carpz. part. 4. Const. 38. def. 2. ubi præjudiciis hoc confirmat. Octav. Cacheran. Decis. Pedemont. 68. num. 31.*

XX. Si quis ab altero invasus se suamque vitam nonnisi cum interemtione adversarii defenderæ queat, ei hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ impunè facere licebit, & de Ju-

re Civili & de Jure Canonico. Defensio enim, utpote ex Jure Naturali descendens, nemini est deneganda, cum vim vi repellere liceat, l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrup. pauper. fec. dic. l. 1. ff. de vi & vi arm. l. ut vim. 3. ff. de Just. & Jur. ubi dicitur: Nam jure hoc evenit, ut quod quisq; ob tutelam sui corporis fecerit, id jure fecisse existimetur. Et cum inter homines cognationem quandam natura constituerit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. l. 1. C. unde vi. c. significasti. 18. extr. de homicid. l. 2. l. 3. C. ad L. Cornel. de sic. sic qui clericum in vasorem occidit, non incidit in pœnam statutam, per can. si quis suadente diabolo. 17. quest. 4. Dd. in c. cum voluntate. extr. de sentent. excomm. idq; indistinctè tam laicis, quàm clericis permittitur, *Vivius decis. Regni Neapol. 439. n. 38. Van der Hoob singul. Jur. sing. 87. n. 71. ubi n. seq. addit:* adeò licitam, justam & æquam hanc propriæ tutelæ esse causam, ut si sacerdos Missæ officium celebrans à profligato & perditò aliquò homine invadatur, possit utique facultate à Jure sibi concessâ uti, & quamvis se defendendo illum interimat, poterit tamen in continenti ad altare redire, sacrumque perficere. *Hippol. de Marsil. in sua pract. crim. §. quoniam. n. 75. Idem in l. 1. n. 28. & seqq. ff. ad L. Cornel. de sicar. & consil. 4. n. 45. Joh. Bajard. in add. ad Jul. Clar. §. homicidium. n. 76. Petr. Peckius tract. de Eccles. reparand. c. 37. in f. quinimò quamvis aliàs Ecclesia etiam Sanctissimorum martyrum sanguine conspersa de Jure Canonum sit reconcilianda, tamen in supra allegato casu reconciliatione non est opus, quia non nisi injuriosa sanguinis effusio Ecclesiam polluit, c. unic. junct. gloss. in verb. sanguinis. de consecrat. Ecclesiar. in 6to. talis autem non est, quæ fit ad vitæ suæ defensionem, vid. Peckius d. tr. c. 37. in f.*

XXI. Non solùm autem pro defensione propriâ aggressorem violentum perimere licebit, sed etiam vim necessariis meis illa tam ita repellere fas est, arg. l. 1. ff. ad L. Corn. de sicar. Ang. de Perus. inter divers. tract. de test. fol. 67. n. 9. in quest. An fra-
ter

ter possit esse testis in causâ criminali fratris? Necessariorum autem nomine etiam amici veniunt, *arg. l. nemo dubitat. 58. de hered. instit.* unde ob ipsorum, imò & extraneorum defensionem, si absque auxiliò meò vita eorum omninò periclitetur, adversarium & invasorem ipsorum impunè interficere possum. *c. si verò. extr. de sentent. excomm. & c. penult. extr. de cler. percussor. Francisc. Vivius comm. opinion. opin. 190. n. 3. Idem decis. Regni Neapol. 197. n. 31. & decis. 439. vers. incip. Tertio.*

XXII. Mulierem, quæ pro tuitione pudicitiae rapere aut deflorare volentem animò haud muliebri necavit, poenæ non esse obnoxiam, *vult. D. Ant. in suâ summâ in 2. part. cap. 6. de stupr. in fin. Vivius opin. 189. n. 6.* Quia pudicitiam suâ nihil charius, nihil antiquius ipsi esse debet, quàm amissâ virgo est spreta, contempta, imò nulla, cum Virginitatem semel deperditam ne Deus quidem restituere possit, ut habetur *in c. si Paulus. 11. Caus. 32. quæst. 2. Van der Hooch singul. Jur. sing. 87. n. 7. & seq.*

XXIII. Pro rerum nostrarum retentione & defensione posse violentum aggressorem & raptorem non vulnerari solum, sed & occidi, probat *l. i. C. unde vi. Vivius decis. Regn. Neapol. 439. vers. incip. Tertio. Et opin. 189. n. 1.* quia bona dicuntur esse sanguis secundus hominis, *gl. in l. Advoc. 14. verb. vitam. C. de Advoc. divers. jud. & vita hominis. Everhard. Consil. 30. n. 10. al. 15. & consil. 42. n. 7. al. 10. Tiraquel. tr. de Nobilitate cap. 31. n. 349.* Unde causa pecuniaria ardua comparatur criminali, *Hypolit. de Marsiliis. in præct. crim. §. expedita. n. 60. Mascard. vol. 2. de probat. concl. 739. incip. Falliti. n. 9.* An supra dicta etiam ad defensionem famæ cum alterius internecione sint accommodanda, hinc inde controversitur? nos, salvis aliorum judiciis, hoc affirmandum in casu summæ necessitatis statuimus, cum vita & fama pari passu ambulent. Plura de hâc defensionis seu inculpatæ tutelæ moderaminis materiâ quæ desiderat, evolvat *Dn. Sixt. Simpert. Textor. Consil. Neostein. Hohenz. diss. Inaug.*

de Remed. contra vim illicitam. Dn. Struv. Diss. de vindict. privat. Wehner. Obs. pract. lit. N. verb. Nothwehr. Carpz. prax. crim. Volkm. Inform. Notar. & Part. Crimin. Besold. Thesaur. Pract. aliosq. plurimos.

XXIV. Cum necessitas Reipublicæ, quam patrimonio suo sublevare cives sunt obligati, alia sit perpetua, alia obveniēns, hinc munera quædam patrimonialia imponuntur ob perpetuā Reipublicæ necessitatem, ut iis status publicus semper conservetur, & dicuntur ordinaria, *arg. l. un. C. de vacat. publ. mun. lib. 10. l. un. C. de priv. corp. lib. 11.* Quædam præter ista ex necessitate quâdā inopinatō obveniēte, & dicuntur Extraordinaria, *arg. l. 8. §. 3. de vac. & excus. mun. l. un. C. de superindict. Conf. Mund. de mun. cap. 3. n. 6. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. L. th. 70.*

XXV. In casu Necessitatis duo aliquis officia gerere potest, *Brunnem. ad Cod. p. 1010.* Et licet nemo regulariter cogatur pluries quàm semel defensionem Reipublicæ suscipere, tamen quoties emergit penuria eorum, qui magistratum suscipiant, tunc ii, qui munere aliquō jam tūm sunt defuncti, ad nova subeunda iterum compelli possunt, *l. 14. §. 6. ff. de mun. & honor.* & hoc casu immunitas à muneribus aliquatenus infringitur, ut loqui amat *Modestinus Jctus in lib. 11. Pandect.* quem refert *Imp. in l. 11. §. 2. ff. de muner. & honor.* quin in hoc necessitatis casu & spurios ac illegitimè natos in ordinem decurionum recipi posse, constat *ex text. in l. generaliter. 3. §. spurios. 2. de decur. & fil. eor.* Quò accedit, quòd in casu necessitatis & penuriâ carnificum vilis homo ex plebe ad illud munus compelli possit. *Conf. Luc. de pennā. Perez. & Brunnem. in l. 1. C. ne quis liber invit. lib. 11. Fritsch. de presid. Necess. Sect. 6. conclus. 6.*

XXVI. De Jure Pontificum regulariter catechumeni in Paschali vel Pentecostes solennitate, ob majorem celebritatem, sunt baptizandi, *can. de catechumenis. 15. dist. 4. de Consecr.* quòd si tamen aliqui summā mortis, ægritudinis, obsidionis,

per-

persecutionis vel naufragii necessitate urgentur, omni tempore debent baptizari. *Can. si quis. 16. dist. de Consecr.*

XXVII. Die Sabbathi carne vesci prohibet Jus Canonium, *Can. quia dies. 31. de consecr. dist. 5.* & monachis indistinctè carnis sumendæ aut gustandæ licentia interdicitur, *C. 32. de consecr. dist. 5.* excipitur tamen necessitas & extrema infirmitas, si monachus graviter decumbens aliter sanari & convalescere non possit, *Can. jam alleg. Arnold. Reyger. Thesaur. Pract. lit. N. verb. Necessitas. ibiq. Ahasv. Fritsch. in not.*

XXIX. Venatio clericis est prohibita, *t. t. ibiq. Abb. extr. de cleric. Venat.* permissa tamen censetur in casu famis urgentis, aut ad tuendos agros contra nocivam ferarum depastionem, *Hostiens. in summ. n. 3. extr. de cleric. Venat.*

XXIX. Mercaturæ operam navare clericis interdicitur, *dist. 88. per tot. c. Canonum. XIV. q. 4.* quod usque adeò verum est, ut ceu pestis clericus negotiator sit fugiendus, *c. negotiatorem. dist. 88.* telò tamen inevitabilis necessitatis premente negotiatio per clericum licitè exercetur, *arg. c. fin. dist. 86. Butrio. Abbas in c. negotiat. dist. 88. n. 6. Prukm. cum alleg. tr. de Regal. §. venatio. c. 45. n. 88.* Debet tamen ejusmodi mercatura esse honesta, & primariò ad sublevationem & erogationem pauperum intentata, *l. 2. C. de Episc. & Cler. Scaccia de commerc. §. 1. q. 7. part. 2. ampl. 11. n. 6. & seqq. Gulielm. Rodaon. de Spol. Eccles. c. 2. Franc. Long. à Coriolan. ad c. 53. Concil. Carthag. IV. Marc. Ant. de Dominis de Rep. Eccles. l. 9. c. 1. n. 17. Cassp. Ziegl. ad Lancel. Inst. Jur. Can. tit. de vit. & honest. pralat. §. 8. in not.*

XXX. Ecclesiæ gaudent metatorum immunitate, & incastellari regulariter nequeunt, *c. Sanctorum. extr. q. 1.* exceptò casu necessitatis & expeditionis Principalis, ubi milites in eâ incastellari poterunt, *arg. eor. que habet Felin. in c. querelam. n. 11. 12. extr. de jurejur. Octav. Cacheran. Decis. Pedemont. 68. n. 28.* quò casu & Ecclesiæ possessiones metatorum oneribus sunt

sunt subjectæ, l. 3. C. de Episc. & Cler. l. 5. C. de SS. Eccles. D. Tabor. de metat. p. 2. d. 3. n. 9.

XXXI. Clericos à judice Laico absque requisitione Episcopi & Pontificis collectari prohibetur in c. adversus. extr. de immun. Eccles. imò in c. Clericus. eòd. tit. in 6to. graviter coërcentur clerici, qui absque jussu Pontificis laico contribuunt; verùm quando emergunt onera necessitatem aut summam utilitatem concernentia, & clerici nolint absque causâ legitimâ ad onera illa Reipublicæ sublevanda contribuere, poterit judex laicus, inconsultò Pontifice vel aliò superiore prælatorum, ab eis contributionem exigere. Quando enim res celeritatem exigit, & periculum est in mora, tunc licitè à Regulis juris fit recessio, l. 1. cum ib. not. ff. de damn. in f. c. quod est illicitum. extr. de Reg. Jur. DD. & gl. in c. f. de elect. in 6to. Jas. in l. admonendi. col. 15. ff. de jurejur. Marsil. in præct. crim. §. constare. col. 2. Nam nisi celeri satisfactione civitas e. g. militibus provideret, illi mox ad depredationem & destructionem progressum facerent, bonaque tam Ecclesiæ quàm civium diriperent, quod ipsum eis licitum esse vult Felin. ad c. querelam. extr. de jurejur. n. 11. in tam magnâ igitur & simili causâ, & ut periculis in tempore obvietur, ordinem non servare, ordo est, per ea quæ tradit Nic. Balb. in consil. un. n. 29. & seqq. ubi n. 36. addit, posse officiales seculares capere fructus & mobilia monasterii, eaque retinere, donec contribuerit in oneribus ex necessitate impositis, ut probat Bald. in l. f. §. f. vers. hoc fac. ad quæst. C. comm. de legat. Octav. Cacheran. Decis. Pedemont. 68. num. 30.

XXXII. Quæ Princeps donavit Ecclesiæ, cum pactò, ut non possint alienari, ea licitè in casu necessitatis distrahi possunt, quia necessitas illicita aliàs, facit licita, c. sicut. de Consecr. dist. 1. Alber. in Dict. verb. Necessitas. hinc princeps in casu necessitatis, potest capere calices, cruces, nec non alia bona Ecclesiæ,

clesiæ, exemplo Regis Judaici Assæ, qui, ut se defenderet adversus Regem Israëliticum Baësa, Judæam devastantem, omne aurum & argentum, quod in ærario & thesauris domûs Dei, sive à se sive à majoribus suis sacris usibus dicatum, invenit, Regi Syriæ transmisit, ad pangendum cum eò novum fœdus, & avertendam præsentis belli & metuendi interitûs calamitatem, id quod etiam alios fecisse Judæ Reges, nec tamen propterea à Deo increpatos esse, dilucidè probat Sacer Codex, præsertim *in libb. Reg. & Chron.* Licet autem hæ res semel Deo dicatæ sint, adeoque ad alios usus transferri non possint, secundum vulgatam CC. regulam; quia tamen negari non potest, fundatores Ecclesiarum in iisdem largiter dotandis tacitè eò quoque intendisse, ut casû calamitosò emergente ad conservationem communem Reipublicæ & Ecclesiæ ab iis aliquid impendatur, ideò sententia nostra adhuc firmò videtur stare talò, cum si tota Respublica periclitetur, etiam ipsam Ecclesiam in eâ constitutam unà periclitari necessitas sit consequentis. *vid. Hahn. part. 1. p. m. 488. Manz. Patroc. debit. depaup. Dec. 2. q. 9. n. 36.*

XXXIII. In casu necessitatis sacrum baptisma, à sacerdotibus alioquin tractandum, *c. 19. de consecr. dist. 4.* etiam à laicis administrari potest, *d. c. 19. § 18. 21. de consecr. dist. 4.* Approbant hanc sententiam nostrates quoque Theologi. Confer *Marquard. tr. de Judæis & Usuris*, ubi casum explicat, an Judæus se ipsum baptizare possit, quod negat, cum debeat esse discertio inter baptizantem & baptizatum. *Anchor. conf. 195.*

XXXIV. Urgente durò necessitatis telò etiam laicus potest absolvere, *per artic. Smalcald. de potest. & jurisd. Episc. ibi:* In casu necessitatis absolvit etiam laicus & fit minister ac pastor alterius; sicut enarrat Augustinus historiam de duobus Christianis, quorum alter baptizarit *κα-*

C

τηξ-

την ἑμὴν, & is baptizatus deinde absolvit alterum: cujus historiae mentio quoque fit in *c. Sanctum. 36. de consecr. dist. 4. Weber. de Jur. Consistor. c. 9.*

XXXV. Utrum in puncto extremæ infirmitatis laicus quoque sacramentam distribuere aut administrare possit, inter partes hæret dissidentes. Negat *Baldwin. de cas. conscient. L. 2. c. 11. Brochmann. Syntagm. Theolog. art. de sacrâ cenâ. Weber. de Jur. consistor. c. 9.* qui putat hoc in casu potius cum Augustino cogitandum: crede & manducasti. Affirmat *Corvinus in methodo doctrin. Can. 9. 9.* quem sequi videtur *Calixtus in Disp. de Baptismo, §. 57.* His accedit *Dn. Diirrius, SS. Theol. & Moral. Prof. in incluta hac Altdorfinâ celeberr. in colleg. priv. Theol. Lector. Disput. Dissert. 18. th. 6.* idque (1.) ex analogia baptismi, (2.) ex naturâ sacramentorum, quæ sunt communia totius Ecclesiæ, non tantum sacerdotum, bona, (3.) ex praxi Ecclesiæ Argentoratensis, quæ administrationem sacræ Synaxeos Theologiæ Studiosis, qui nondum sunt clerici aut sacerdotes, permittit. Et Affirmativæ subscribimus.

XXXVI. Num verò in casu necessitatis, ubi panis & vini copia haberi non potest, loco horum terrestrium & in sensu externos incurrentium symbolorum, alia materia aut liquor usurpari possit, de eò inter Theologos non leviter controvertitur? Notum quippe est, Innocentium VIII. Pontificem Romanum nonnullis Christianis in India concessisse, ut in administratione S. Eucharistiæ in defectu panis alias quasdam radices substituerent. Beza verò, Vossius & Reformati loco vini alium liquorem admittunt. Quod tamen contra ipsos negat *laudatus Dn. Diirrius*, non sine ratione asserens, fatius esse, sacræ cenæ administrationem planè intermittere, quàm circa substantiales ejus partes, quales sunt panis & vinum, aliquid immutare. *In d. Colleg. Dissert. 18. de sacrâ cenâ. th. 11. 15.*

XXXVII.

XXXVII. In articulô necessitatis cum excommunicatis absque metu excommunicationis communicare licet, *cap. si verè. 34. extr. de sent. excomm.* Nam licet Gregorius VII. hōc suō excommunicationis fulmine totum ferè concusserit terrarum orbem, cum tamen hoc commerciis & ipsi generi humano perniciosum esse videret, si excommunicatio per participationem nimium extendatur, hinc plurimas exceptiones excogitare coactus fuit, quæ ad hæc quinque capita revocata sunt hōc versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vid. *Marc. Ant. de Dominis. de Rep. Eccles. lib. 5. c. 9. n. 29.*

XXXVIII. Pro alterius vitâ mentiri non licere, dicitur in *Can. nequis. caus. 22. quest. 2.* At cum in casu necessitatis alia multa majora pro suâ alteriusvê vitâ conservandâ inveniantur permiffa, ideò distinguendum videtur inter mendacium ipsum, & occultationem veritatis. Aliud enim est, non dicere veritatem, aliud mentiri, cum in mendacio dolus fit, qui non semper adest, ubi quis ob salutem proximi veritatem occultat. Proinde nec omnis veritatis dissimulatio dolum continet, & pro mendacio est habenda. *Conf. Hug. Grot. de Jur. Bell. & Pac. c. 1. n. 16. Cass. Ziegl. ad Lancelot. Instit. Jur. Can. tit. de usur. §. 4. in not. ad verb. pro vita. Fritsch. de prasid. necess. sect. 7. concl. 2. qui dissentit per rationes ibi allatas.*

XXXIX. Iter faciens equum suum delassatum herbis ex alienô agro depromtis pascere & reficere potest, *text. 2. feud. 27. tit. de pace tenendâ. §. ult.* verba sunt hæc: Quicumq; per terram transiens equum suum pabulare voluerit, quantò propinquiùs secundùm viam stans in locô amplecti potuerit ad refectionem & reparationem equi sui, impunè ipsi equo porrigat.

Licitum sit etiam ipsi uti herba & viridi sylvâ ,
& sine vastatione aliquâ quilibet utatur pro suâ
commoditate, & usu necessario. Quibus gemina
sunt, quæ habentur in *Jure Saxon. Land. R. lib. 2. art. 86.* ubi
dicitur: Erliegt einem wegfertigen Mann sein Pferd / er mag
wohl Korn schneiden / und ihm das zu essen geben / als ferne er das
gerochen mag stehende im Wege mit einem Fusse / aber er soll es
nicht von dannen führen / noch wegbringen zu seinem Nutz. *Conf.*
gloss. h. l. lit. b. Huc quadrat, quod transeunti liceat in manus
capere ad minus tres racemos ex vineto pro recreatione cor-
poris sui, de quô *gloss. § DD. in c. 1. in verb. fas. est. dist. 1.*

XL. Licet à domino feudi facta fuerit oppignoratio,
quâ jus pignoris in dominio directô alteri constituitur, absque
possessionis translatione, sive ut non tradatur simul facultas
exigendi servitia, *Schneidw. de feud. p. 5. c. 2. n. 133. Alvarot. n.*
Præpos. n. 3. Clar. § feudum. q. 28. n. 4. H. Hartm. tit. de feud. obs. 40.
Schrader. part. 8. c. 1. n. 27. Andr. de Ifern. de prohib. feud. alien.
pr. n. 4. non tamen fiet executio in hujusmodi pignus, nisi,
bonis aliis deficientibus, necessitas exigat. *Conf. Rosenthal. c. 9.*
conclus. 62. n. 19. § c. 8. conclus. 28. n. 17.

XLl. Olim quidem Vasallus insciô quoque dominô feu-
dum alienare poterat, *ll. feud. 44. l. feud. 5.* (ubi *Cujac.* pro:
transactum: legi vult: distractionem:) *13. 18. ll. feud. 9. Ca-*
merar. rep. l. Imperialem. de prohib. feud. alien. p. 8. Sed consti-
tutionibus *Lotharii II. § Frid. I. Impp.* omnis feudi alienatio,
tâm totius quàm partis (plena scil. quæ fit in extraneum) o-
ptimâ ratione Vasallo interdicta. Cum enim Vasallus ple-
num rei dominium non habeat, & talis alienatio vergat in da-
mnum & præjudicium domini, vid. *dd. Impp. Const. in ll. feud.*
52. 55. ideò liberè feudum alienare nequit absque concurren-
te domini consensu. Quòd si tamen ob urgentem necessi-
tatem

tatem Vasallus alienationem suscipiat, *ll. feud. 9. verb. necessitate. junct. ll. feud. 52. 55. Bald. in d. ll. feud. 9. Clarus §. feudum. q. 31. n. 11. Schrad. part. 8. c. 1. n. 21. Curt. Jun. p. 4. q. 16. num. 107.* tunc dominus ei sine justâ causa consensum suum denegare non poterit, per ea quæ habet *Clar. d. num. 11. in fin. Myns. Cent. 6. Obs. 30. num. 5. Rosenthal. cap. 9. conclus. 3. num. 9. Borchol. cap. 8. num. 70.*

XLII. Quamvis videri posset, domino ad proprietatis seu domini directi alienationem Vasalli assensum non esse necessarium, cum illud à Vasallò non dependeat; quia tamen dominus contractum feudalem celebravit cum Vasallo, qui propterea ipsi personæ domini ad feudum & servitia est obligatus, ita ut nec cedere possit hanc obligationem dominus alteri, *Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. Exerc. 13. aph. 1.* ideò non potest regulariter invito Vasallo alius obtrudi dominus, & Vasallus adigi, ut fidem & servitia ei exhibeat, cui ista non promisit, indeque non potest non irrita esse alienatio facta à domino Vasalli eò invitò & non consentiente, *ll. feud. 34. §. ex ead. (ubi vers. quod Mediolani: usq; ad vers. fin. quidam: subjicitur specialis consuetudo Mediolanensis) q. in fin. ll. feud. 55. §. prætereà in fin. Add. Rosenthal. cap. 9. conclus. 62. Vasq. Illustr. Controvers. 1. cap. 5. 6.* Hæc tamen prædicta intelligenda sunt de alienatione spontaneâ; Si enim summâ necessitate coactus dominus in alium transfert feudi proprietatem, fides & obligatio Vasallorum, quâ domini necessitatibus subvenire tenentur, exiget, ut istam alienationem admittant, & novum suscipiant dominum, *Rosenthal. d. l. num. 20. lit. O. si e. g. ob pacem impetrandam fiat alienatio. Idem & alleg. d. l. num. 22.*

• *XLIII.* Quamvis de Jure Civili solutio particulatim fieri non debeat, *l. 3. fam. ercisc. l. 41. §. Lucius Titius. ff. de usur. per Recess. tamen Imperii noviss. de Anno 1654. §. Nachdem.*

permittitur debitoribus, bellicâ calamitate deperditis, particulares facere solutiones. *Hahn. ad Wesenb. paratit. tit. de verb. Oblig. n. 6. verb. à materia. Dn. Struv. Synt. Jur. Civil. Exerc. 47. th. 73.*

XLIV. Impositio munerum patrimonialium Regulariter à Majestate dependet, *l. un. C. de superindict. l. 8. C. de excus. mun. ll. feud. 56.* Singularem tamen & urgentissimam necessitate exigente etiam magistratus inferior & universitas quædam, ex conventionem ac voluntate communitatis collectas imponere potest. *Klok. de contrib. c. 2. n. 397.* Licet Consensum superioris & hõc casu requirat *Carpz. part. 2. Const. 6. def. 24. n. 7. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 50. th. 68.*

XLV. Tempore necessitatis habentes pecunias cogi possunt eas mutuare Reipublicæ, etiam gratis & absque usuris, & tenentur solutionem expectare, donec fiant collectæ, quibus eis possit satisfieri. *Ripa. tr. de pest. tit. de Remed. contra pest. §. accedo. n. 185. & in l. 1. num. 18. ff. solut. matr. Gulielm. de Cun. in l. neminem. C. de SS. Eccles. Joh. de Platea in l. 1. C. de omni agro desert. lib. 11. Angel. conf. 206. num. 1. qui affert casum in terminis in l. fin. §. fin. de pign. act. Paul. de Castr. in l. si quis nec causam. num. 6. ff. si cert. pet. Cacheran. decis. Pedement. 96. num. 51. Conf. Klok. de contrib. qui c. 7. num. 49. usq. 57. hæc latius deducit.*

XLVI. Immunitas alicui concessa à muneribus & collectis ordinariis vel extraordinariis non extenditur ad onera, quæ ob supervenientem necessitatem improvisam, de quâ ab initio verisimiliter non cogitatum fuisse censetur, imponuntur. *Klok. de contrib. p. 2. c. 62. n. 214.*

XLVII. In casu necessitatis & urgentissimæ penuriæ, possunt naves exteræ frumentò oneratæ deteneri, & dominorum ad vendendum cogi, statutò eis justò pretiò à magistratu pro ratione expensarum & laborum in apportatione ad-

adhibitorum. *Virgin. Boccac. de interdicit. cap. 17. num. 203. Roland. consil. 80. n. 14. lib. 3. Decian. tract. crim. tom. 2. cap. 22. n. 24. Nec attendendum pretium frumenti respectu loci destinati, quia hoc esset petere lucrum incertum. Natt. consil. 450. Tiracquell. de LL. connub. gl. 2. n. 35. Don. Garf. Mastrill. decis. 17. Bursat. consil. 68. Dd. in l. quemadm. §. planè. ff. ad L. Aquil. l. si jact. retis. 13. ff. de act. emt.*

XLII X. Monopolia alioquin sunt prohibita, l. un. C. de monopol. Rec. Imp. de Ann. 1548. & 1577. tit. Bon Monopoliën. At casu necessitatis ad sublevandam ærarii & interdum subditorum penuriam ea licita esse, demonstrat *Marquard. de Jur. Merc. sing. lib. 4. cap. de monop. licit.*

XLIX. Legibus civilibus interdictum est Nobilibus mercaturam exercere, l. 3. de Commerc. & Mercat. l. nequis. 6. C. de dign. lib. 12. l. si cohortal. 12. §. f. C. de cohortal. princ. lib. 12. quibus adstipulantur LL. torneamentorum ab Henrico I. Imp. latae Ann. 938. art. 11. Verùm eos in casu necessitatis ad familiæ conservationem mercaturæ operam navare posse absque nobilitatis dispendio, tradit *Marquard. de Jur. Merc. sing. cap. 10. de Princ. & Nob. negotiat.*

L. Atq; hæc sunt, quæ pro tenuitate ingenii mei & temporis brevitate de præsentis hac Necessitatis materia proferri potuerunt. Fateor equidem, multa accuratius proponi potuisse, verùm cum temporis necessitate præclusus fuerim, alii loco ac tempori hæc & reliqua cultiori stylo & methodo tradenda reservare cogor. Tibi interim, summe DEUS, qui me hæctenus ex haut levibus necessitatibus liberasti, atque studia mea ad optatum finem perduxisti, pro immensò tuò in omnibus necessitatibus mihi præstito præsidio, semper habeatur

LAUS, HONOR ET GLORIA!

KRAUSIUS ecce petit solennes Juris Ho-
nores,

Dum sine præsidio pulpita nostra tenet.
Scilicet accendunt Venerandi exempla Parentis,
Ut sobolem Magni se probet esse Viri.
Gratulor hinc KRAUSI, precor & tibi candida
fata,

Cesserit in laudes ut gradus ille tuas!

*Nobilissimo DN. KRAUSIO solenniter
disputanti sic applausit*

JOH. WOLFFG. TEXTOR, D.

Pand. PP. ac incl. Reip. Norib. à Conf.

E *Sse NECESSARIUM statuis tractare, NECESSE
Quid sit de nostræ conditione fori.*

Sic Themidis qua sunt arcana remota revolves,

Quasq; dedit, capies, Justinianus opes.

Hoc meritò tentas dignus lauderis in isto,

Heredem Patriæ dum Gravitatis agis.

Ecce NECESSARIÒ Te docta Brabæa sequuntur,

Ecce Tuum meritò cinget Apollo caput.

Ast hæc dum peragis, nos & constringimur ipsi

Dicere, sint laudis summa, decusq; Tua

Honoribus Nobiliss. atque Clariss.

*Dn. Candidati, Convictoris honoratissimi
hæc scribeb.*


Excellentiss. DN. D. TEXTORIS


COMMENSALES.

Altdorf, Diss., 1670-71

X 242 1345

V 817





B.I.G.

Farbkarte #13

XLI.
 50.
 1871
 19
 INAUGURALIS
 DICA
 De
 Sitate,
 quam
 tis fretus Præfidiô,
 CRETO
 & Nobilissimi
 SULTORUM
 INIS,
 NORICORUM
 RSITATE
 pro
 ENTIA
 QUE JURE HONORES
 A DOCTORALIA
 APESSENDI
 ittit *disquisitioni*
 EODORUS Krauß/
 Thuring.
 LXXI. D. 27. OCTOBR.
 DORFI
 CI MEYERI, Acad.
 pographi.

3

